Quelle: http://manuscripta.at/?ID=818
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

qui sub Commodo principe a servo proditus quod christianus esset, et impetratus ut rationem fidei sue redderet, insigne volumen composuit quod in senatu legit, et nichilominus sententia senatus pro Christo capite truncatus est.

D xiiii kal. Maii. In Armenia civitate Militana natale sanctorum Hermogenis, Gagi, Expediti, Aristonici, Ruffi, Galathe una die coronatorum. Cauco (?) [illegible] Hyspanie natale sancti Vincencii martiris. Apud Corinthum beati Thimonis de illis vii diaconibus primis, qui apud Beroeam primo doctor sedit, deinde verbum domini disseminans venit Corinthum ibique a zelantibus Iudeis et nomen Christi persequentibus Grecis traditus, ut ferunt, primo flammis iniectus sed nichil lesus, deinde cruci affixus martirium suum implevit et sepultus est apud Corinthum gloriose. xiii kal. Maii.

E xiii Rome sancti Victoris episcopi qui tricesimus quintus post beatum Petrum rexit ecclesiam, et sub Severo principe martirio coronatur. Hic constituit ut sanctum Pascha die dominico celebraretur a quartadecima luna primi mensis usque ad vicesimam primam observaretur, et constituit ut necessitate faciente sive in flumine seu in mari sive in fontibus sub christiana confessione quicumque homines ex gentibus venientes baptizarentur. In Gallijs civitate Bredunense natale sancti Marcellini primi eiusdem urbis episcopi et confessoris. Rome sanctorum Supplicij et Serviliani. xii kal. Maii.

F i Rome sancti Sotheris pape qui sedit in episcopatu annos ix. Sepultus est in cimiterio Calixti. Hic constituit ut nulla monacha pallam sacratam contingeret in ecclesia neque incensum poneret. Apud Persidem natale sancti Symeonis episcopi Seleucie et Ctesiphontis regalium civitatum, qui persecutione Saporis regis Persarum iubente eodem tyranno comprehensus ferroque convinctus cum iniquis tribunalibus exhibitus de domino Ihesu Christo libera voce et constantissima testaretur, primum carcerali ergastulo cum alijs c, e quibus alij episcopi, alij erant presbiteri, alij diversorum ordinum clerici, longo tempore maceratus est. Novissime iussus est cum omnibus decollari, ita ut eos cum iugularent astaret et ipse ulti-